

1555

que affines magni nominis procures multis sibi nominibus adjunctos esse: incolis invisum Hispanicum nomen: ad primum armorum, ac signorum Galliae prospectum a Caesare Neapolitanos defecturos, ultroque Gallicum imperium subituros. Henricum, ne tantam praeclare gerendae rei opportunitatem omitteret, Italorum peditum, tormentorum, commeatuum magnam vim polliciti, adhortabantur; ut socios Venetos belli sibi adsciscerent, magnis propositis praemiis, nitebantur; qui cum ingentem ex ea rerum perturbatione molestiam perciperent, Paulum ad faniora consilia revocare licet frustra conati fuerant; cum improspere Albani Ducis in Subalpinis eventis, pecuniae inopia, Germanorum tumultibus, Ulpiano munito valde oppido a Gallis capto, ausus in dies majoresque spiritus sumeret; & quamvis de concordiae aliqua ineunda ratione ageretur, nihil tamen confici potuerat.

Hispanorum in Subalpinis improspere successus.

Fœdus inter Paulum Pontificem & Henricum Regem.

Henricus vero ex diffidiis inter Pontificem Maximum ac Caesarem subortis peramplam ad res bene gerendas occasionem minime praetermittendam ratus, Lotharingum, ac Turnonium Cardinales citatis itineribus cum mandatis pro foedere sanciendo Romam iussit contendere. Neque difficile fuit infensos animos mutuis foederibus conjungere, quae secreto sub his conditionibus pacta fuere: *Ut pontificias ditones, atque Caraffam familiam in clientelam Henricus susciperet: exercitum Helvetiorum, ac Gallorum ad decem millia, hastatos quadringentos, leviores equites mille ac ducentos in Italiam mitteret: Pontifex contra communi impensa Italorum peditum decem millia conficeret; tormenta, apparatus, annonam, aliaque necessaria compararet: quingenta aureorum millia Romae, aut Venetiis deponerentur, quorum Pontifex centum ac quinquaginta millia, Rex reliquum curaret: Bello aut Hetruria, aut regnum Neapolitanum peteretur; adeptum minori Henrici nato quadraginta aureorum millium pensione concederetur: Siciliae quoque bellum, nisi gravi aliquo periculo Gallia laboraret, inferretur: Joanni Montorii Comiti in Neapolitano regno ditones cum vigintiquinque aureorum millium annuis proventibus traderentur: Antonio Caraffae quindecim millia tribuerentur: Eisdem legibus in Insu-
bribus oppugnandis Pontifex teneretur: eorum imperium uni e Regis filiis, Delphino excepto, traderetur; quae olim Ecclesiae obve-*